

repetere et de novo capere libere et amplissime possint et valeant, etiam si non habuerint bullas seu concessionem regressus a Pontifice Sixto, Innocentio VIII, Alexandro VI ac Julio II, non obstantibus derogationibus, suspensionibus, nullificationibus, litteris seu concessionibus quibuscumque per quas praesenti capitulo derogatur aut illi quomodolibet preiudicetur aut preiudicatum esset per eosdem praedecessores; supra quo capitulo ac ejus praeservatione litterae apostolicae in plenissima et amplissima forma quotiens petatum fuerint expediri possint et debeant.

Item, capitulum supradictum, cum omnibus et singulis in eo contentis, extendimus et loco habere decernimus et declaramus, et in accessibus seu regressibus, ac utribus accedenti seu regredienti, in alios cardinales translatis cum plenaria restitutione quatenus opus sit, quae latissime extendi possint in bulla, uterque sorti.

Item, promitto iuro et voveo, quod omnem favorem et subsidium, auxilium et auctoritatem meam interponam ut tam cardinales Sanctae Romanae Ecclesiae quam alii qui beneficia ecclesiastica canonice assecuti fuerint, et ad possessionem eorum admittentur vel hactenus admissi non fuerint, seu eorum fructus quomodolibet de beneficiis pacificis bona fide etiam perceptis restituantur, et adhibendo circa hoc, ut jus et equitas postulat, omnem diligentiam nihilque praetermittam.

Item, promitto et iuro, quod canonicatus et praebendae basilicae Sancti Petri, Sancti Joannis Lateranensis et Sanctae Mariae Maioris de Urbe, ecclesiarum et alia omnia et singula beneficia in ipsis basilicis et ecclesiis quibuscumque vacationibus, seu deinceps vacatura, non conferam nec comendabo, nec de ipsis aliquo modo providebo aliis quam civibus romanis, iuxta privilegia illis a Summis Pontificibus concessa: et id facturos se obtulerunt et obligaverunt domini cardinales de beneficiis ad eorum collationem spectantibus ratione titulorum aut comendarum suarum quas in Urbe obtinent seu pro tempore obtinebunt. Similiter, de officiis huius almae Urbis consuetis dare

46* etiam de prothonotariatu capitulo Sancti Spiritus in Saxia et Urbe per foelicis recordationis dominum Sixtum Papam praedecessorem nostrum.

Item, promitto, iuro et voveo, quod si contingerit aliquem ex potentatibus aut principibus secularibus, occasione fortassis displicentiae conceptae ex voto alicujus cardinalis in praesenti electione Romani Pontificis aliter quam voluisset, vel ea alia quaecumque

causa redditus beneficiorum ipsius cardinalis recuperari, tunc et ex eo casu de propriis pecuniis et introitibus Ecclesiae providebo, sicut cardinalibus non habentibus in redditibus sex millia ducatos, ducentos florenos auri de camera singulis mensibus, donec eis reintegrari faciam possessiones beneficiorum suorum usque ad dictam summam.

Item, omnia gesta et acta, sede vacante, per obitum praefati praedecessoris nostri per Sacrum Collegium, vel camerarium, vel ejus priores seu deputatos ab eodem Sacro Collegio speciales commissarios grata et firma habeo et observabo, prout nunc habeo teneo et aprobo, cum facta fuerint vigente necessitate libertatis electionis.

Item, volo, promitto et voveo, quod quaecumque privilegia, reservationes, uniones, concessionem per praedecessores nostros Romanos Pontifices et per me concessas et concedendas Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus tam conjunctim quam divisim per regulas cancellariae aliasque constitutiones et litteras meas nunquam revocabo, modificabo aut limitabo, nec in toto vel in parte tollam, nisi consilio et expresso consensu omnium cardinalium quibus concessae sunt. Quin imo illa in eventu renovationis, modificationis aut limitationis vel ablationis, sine consilio et consensu praedicto illa eis et eorum singulis respective nunc prout ex tunc et e converso de novo concedo, non obstantibus quibuscumque constitutionibus et cancellariae regulis in contrarium edendis.

Item, promitto, iuro et voveo, quod in singulis legationibus, avinionensis, bononiensis, Marchiae Anconitanae, Perusiae, Patrimonii Sancti Petri, in Tuscia, Campanea et Maritima et aliorum locorum si contigerit vel expedierit, semper deputabitur legatus aliquis ex reverendissimis dominis cardinalibus de consensu duarum partium eorundem per ballotas praestito; illius legationem post praesentes legatos ultra triennium non prorogabo, nisi ipsorum cardinalium aut dictarum duarum partium accesserit assensus concistorialiter per dictas ballotas praestitus.

Item, decerno et statuo quod praesentes officiales Sanctae Romanae Ecclesiae, videlicet Raphaelē camerarium, Leonardum poenitentiarium et Sixtum vicecancellarium, si officia eorum per cessum vel decessum vacare contigerint, dentur similiter ad triennium ipsis reverendissimis dominis cardinalibus de consilio et consensu duarum partium Collegii similiter propter ballotas explicato; et si aliter fiat, sit irritum et inane, cur obtinentes talia officia